

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 10. Urbanus sex Cardinales custodiæ mancipat, & severius castigat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

„cta ad arbitrium suum disponeret. „  
 Cardinalis Reatinus, nomine Petrus *Niem.lib.1.*  
 Tartaro Montis Cassini Abbas, & Re-<sup>c. 42.</sup>  
 gni Neapolitani Cancellarius hasce  
 quæstiones numero duodecim publi-  
 ci juris fecit, & affirmativam tenuit,  
 tantisque firmavit rationibus, ut at-  
 tentam mererentur reflexionem; plu-  
 resque celebriores Theologiæ ac  
 Juris Doctores impellerentur, ut ejus-  
 modi quæstiones agitarent, & juxta  
 illius sententiam resolverent.

## §. X.

*Urbanus sex Cardinales custodice man-  
 cipat, & severius castigat.*

**U**rbanus, hanc conjurationem per  
 Cardinalem de Manupello ex Ur-  
 finorum familia, edoctus, confisto-  
 rium coegit, periculum sibi imminens  
 expositurus; quo finito sex Cardina-  
 les, quos cum ingenii præstantiores  
 essent, flagitiis magis complices suspi-  
 cabatur, comprehendendi, vinculis onu-  
 stos ergastulis includi, & iteratis tor-  
 mentis subjici jussit. Horum pri-

f 5                   mus,

mus, nomine Gentilis de Sangro manibus, pedibusque ligatus coram Pontifice in eo arcis loco, ubi quæstioni subjiciendus esset, producitur; dein solo indusio & caligis indutus, cetera nudus, loris arcte constrictus, atque suspensus in quæstionem postulatur. Altera die Ludovicus Donatus Cardinalis Venetus equuleo torquetur. Decrepitus iste, ac viribus fractus a matutinis horis usque ad prandium tam immani cruciatu exercebatur, ut Pontifex in horto deambulans, facile ejusdem ejulatus percipere potuerit. Hæc omnia Theodorus Niem testis oculatus literis mandavit (\*). Quatuor reliqui Cardi-

(\*) Continuator autem ex Gobelino Cosmodr. ætat. 6. c. 78. pariter auctore coævo, tunc temporis Beneventi agente, & rei veritatem studiosissime indagante causam, & conspirationis enormitatem recensere debuisset: hic conjuratorum consilium fuisse testatur: *Quod quilibet eorum, quando ad consistorium ascenderent, duodecim familiares arma tegentes se facerent anteire, Papam caperent, & ei certi articuli objici deberent, quibus & sententiae executio*

Cardinales erant Adamus Astonus,  
Episcopus Londinensis, Bartholo-  
mæus de Cacurrno, vel Cothurno,  
Archiepiscopus Genuensis, Joannes  
de Capua, Corcyrensis Archiepisco-  
pus, & Marinus de Judice, Archie-  
piscopus Tarentinus.

## §. XI.

*Carolus de Dyrrachio Nuceriae Ur-  
banum obsidet.*

Carolus ira in Urbanum accensus,  
eoquod ipsum non solum repeti-  
to anathemate; Regnum vero Nea-  
polis interdicto perstrinxisset, sed Summon.  
lib. 4 cap. 2.  
Blond. 2.  
dec. 10 p. 248  
etiam Regem, & Reginam Margari-  
tham sceptro spoliasset, valido exer-  
citu, sub Duce Cardinale Reatino,  
jurato Urbani inimico, Nucerianum,  
ubi tum Papa morabatur, obsidione  
cingit. Oppugnati, utpote armis  
parum

*cutio per ignem fieret, & deinde Cardinales a-  
lium, quem jam determinabant, Papam crearent.*  
De diverso Nierni & Gobelini partium studio  
vide Spondanum contin. Annal. ad an. 1385.  
§. 2. & ad an. 1386. §. 10.